

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel


Carolsruhae, 1765

CCCCXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295125)

communiter vel divisim ab eadem sit sede inductum, quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Rome Anno Incarnationis dominice, Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono. Pridie Non: Martij. Pontificatus nostri Anno secundo.

(Signum
Notarii.)



C C C C X I I I .

LITTERÆ PII P. M. AD EPISCOPUM SPIRENSEM
QUIBUS FUNDATIONEM COLLEGIATÆ PFORTZHEI-
MENSIS CONFIRMAT.

A N N O M C C C C L I X .

Ex Tabulario Badensi.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Epo. spirensi & dilecto filio Rutkero de Luterberg Canonico spiren. salut. & apostolicam benedictionem. sincera devotio dilecti filii nobilis viri Caroli Marchionis Baden. per quam se reddit altissimo & Romanæ Ecclesiæ matri suæ non sine magno laudum preconio gratum multipliciter & acceptum, non indigne meretur, ut sedem Apostolicam in illis præsertim

quæ salutem animæ suæ & divini cultus augmentum ac Ecclesiastici status decorem & decus respiciunt sibi favorabilem sentiat & etiam liberalem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Marchionis petitio continebat quod in Ecclesiastica parochiali oppidi Pforzheim spiren. Dioc. quod sub temporali dominio dicti Marchionis consistat ultra perpetuam Vicariam ejusd. Ecclesiæ viginti & una perpetuæ Capellanæ per progenitores ipsius Marchionis & alios Christi fideles fundatæ & competenter dotatæ habeatur, quarum perpetui vicarii vicarios hujusmodi obtinentes frenis laxatis, ac missis suis expeditis tanquam acephali ad lubitum hinc inde transcurrunt, nec horas canonicas in choro concordi devotione decantant. Quare dictus Marchio cupiens præfatam Ecclesiam ad Dei gloriam & honorem divinique cultus augmentam in collegiatam erigi, ac in ea unum Collegium sive Capitulum duodecim Canonorum & totidem Vicariorum ac unius Decani qui eis præsit, & duodecim præbendas & totidem perpetuas vicarias institui nobis humiliter supplicavit, quatenus in præmissis salubriter providere de benignitate Aplica dignaremur. Nos itaque ut amplius ipsius Marchionis erga Deum & eandem Romanam Ecclesiam devotio hujusmodi augeatur, cupientes ejus petitiones aplicis prosequi gratia & favore hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni Vre per Aplica scripta committimus & mandamus, quatenus de præmissis & eorum circumstantiis universis autoritate nostra vos diligenter informetis & si per informationem hujusmodi ea repperitis fore vera, parrochiam Ecclesiam prædictam in collegiatam Ecclesiam erigere ac in eadem Ecclesia numerum duodecim vicariorum & totidem vicariarum hujusmodi ac perpetuam vicariam ejusdem Parochialis Ecclesiæ in dignitatem quæ Principalis esse

& decanatus appellari debeat instituere & deputare curetis, statuentes etiam & autoritate nostra decernentes qd Decanus & Canonici ac Vicarii dictæ Ecclesiæ pro tempore existentes singulas horas Canonicas ac officia diurna & nocturna Deo in humilitate spiritus ad notam decantare & psallere, qdque Decanus ipsius Ecclesiæ pro tempore existens solus curam animarum Canonicorum ac Vicariorum prædictorum una cum aliis dictæ Ecclesiæ Ministris pro tempore sibi adjunctis ac etiam parochianorum animarum curam ejusdem Ecclesiæ perpetuo habere gerere & exercere qdque Decanus Canonici & Vicariis præfato tempore divinorum superpellicia & alios Ecclesiasticos habitus & ornamenta ac Decanus de vario griseo & Canonici de aspriolis & Vicarii sive Capellani hujusmodi de ovinis pellibus almutia & ad instar Ecclesiæ spiritalis cappas nigras tempore quadragesimali & aliis consuetis temporibus deferre & capitulum inter se facere, constituere & repræsentare, nec non sigillum autenticum in communi & alia insignia, honores & privilegia ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum dictæ Diocesis habere & illis uti & gaudere possint, debeant & teneantur. Nos enim vobis statuta & ordinationes rationabilia quæ in dicta Ecclesia perpetuis futuris temporibus vigere & observari debeant, edendi, nec non alia officia Canonicatibus & præbendis prædictis si vobis videbitur annexendi, ac circa distributiones quotidianas in dicta Ecclesia faciendas nec non omnia alia & singula faciendi, ordinandi, disponeudi, statuendi & exequendi quæ nobis in præmissis & circa ea utilia, salubria seu etiam necessaria vel oportuna videbantur, jure patronatus sive præsentandi personas idoneas ad Decanatum ac ad Canonicatus & præbendas nec non vicarios hujusmodi pro prima vice & quotiens eos deinceps

ceps vacare contigerit prefato Carolo ac hæredibus & successoribus suis præfatum oppidum pro tempore obtinentibus vel quoad vicarios illis ad quos jus patronatus seu præsentandi hujusmodi hætenus pertinere consuevit ac jus instituendi Decanum loci ordinario, sed quoad Canonicos & vicarios prædictos Decanis ejusdem Ecclesiæ pro tempore existentibus per vos eadem autoritate nostra in perpetuum reservato. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque Et insuper ex nunc irritum decernimus & inane si secus super his à quoquam quâvis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, Tertio Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno secundo.

(Pius Papa
II.)

C. Fidelis.